8
41
34-8-F-5-

SIDERA TVTELARIA CIVITATIS HORTANAE

Quorum nomina indicantur primis litteris Carminum

Felicis Pupij I. V. D. & Prothonotarij Apoſtolici De Ciuitate Caſtellana.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

RONCILIONE,
Apud Aegydium Toſellum. M.DC.LIX.
Superiorum permiſſu.

SIDERA
TVTELARIA
CIVITATIS HORTANAE

Quorum nomina indicantur primis litteris Carminum

Fabij Pagij I. V. D. & Protonotarij Apoſtolici De Ciuitate Caſtellana.

RONCILIONE,
Apud Aegydium Toſellum. M.DC.LIX.
Superiorum permiſſu.

Perilluſtri, & admodum Reu. D.

D. BARTHOLOMAEO VALENTINO I.V.D. Priori Eccleſiæ Cathedralis Ciuitatis Hortanæ.

FELIX PVPIVS.

SEX docui Sanctos Hortam reſonare Patronos;
Cuius Eccleſiæ Bartholomæe Prior.
Nunc optat vox miſſa tuo ſub nomine vitam,
Vt quo te veneror, ſit manifeſtus amor.
Hos igitur quamuis paucos læta excipe fronte,
Quoſque parit verſus ignis amoris, habe.

ANAGRAMMA ARITHMETICVM:

Prior, ac Canonici antiquiſſimæ Vrbis Hortæ:

Prior,	ac	Canonici	antiquiſſimæ	Vrbis	Hortæ:
68	4	62	143	63	61

68	143
4	63
62	61
	401

Eccleſiaſt. 50.

Et quaſi lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ.

Et	quaſi	lilia,	quæ	ſunt	in	tranſitu	aquæ.
23	61	39	40	66	21	110	41

23	66
61	21
39	110
40	41
	401

SIDVS I.

DIrigite Hortini Ciues ad ſidera greſſus;
In quæ Crux Ieſu ducere ſola poteſt.
Omnis, ait Ieſus, qui vult ſuper æthera tolli,
Nobiſcum debet tollere, & ipſe crucem.
Y Danaum moneat vos, cuius lęua ſub orcum
Semita, dextra autem fert ſuper aſtra viros.
Illa aditu primo facilis, molliſque videtur,
Verum hæc aduerſa eſt ardua plena rubis.
Surgite, & hanc premite, Alcidæ pręſtabitis omnes.

SIDVS II.

QVærite Regna Dei, mortalem ſpernite vitam;
Vitam ſi vultis viuere perpetuam.
In portum veluti lucentia ſidera ducunt
Remis fidentes æquora lata maris,
In Cælos potero ſic ipſe adducere quemque,
Ni renuat noſtras currere, & ille vias.
Vita mare, & Cæſum portus, remique virorum
Sunt opera, ac ſplendens Stella QVIRINVS ego.

SIDVS III.

AD præſepe nouum, quod fulſit in æthere Sidus,
Perduxit tractos ex Oriente Magos.
Omniaque inueniunt illi, dum Virgine natum
Luminis auctorem cum Genitrice vident.
Lucida, & ipſe noua è Stellis cœleſtibus vna.
Omnes huc mentis vertite nunc oculos.
Non eſt præſepe, at Cælum, ex quo nemo recedit.
Ieſus erit vobis, mater, & vſque comes.
Vires tres animæ date. Sic tria dona dederunt,
Sedibus at Reges ſe retulere ſuis.

SIDVS IV.

AVrum ſi impoſuit veluti mihi lilia, nomen,
Vtque aurum certè, & lilia martyr ego.
Roma hoc vidit, vbi, ſi aurum ſpectatur in igne,
Et mea ſupplicijs inſpicienda fides.
Lilia radices, & frondes candida, purus
It meus è puro corpore ſanguis humum.
Ac deinde ex humili terra ſum latus ad aſtra,
Nomina & in vitæ ſunt mea ſcripta libro.
Vos nunc me Hortini vt ſidus legite. Aurea Cælo
Sunt elementa Dei ſidera ſcripta manu.

SIDVS V.

DVlce recordari eſt nobis nos dura tuliſse.
Omnis, qui cęli eſt incola factus, ait.
Riſum iam luctus, vitæ immortalis, & ortum
Occaſus peperit, lætitiamque dolor.
Tu quoque eris lætando, tibi ſi dura placebit
Horta pati, ac pro te iugiter oro Deum.
Et ſic immeritæ non eſt Dorothea nomen.
At ſectare, tibi quam celebrare placet.

SIDVS VI.

FLuminis eſt Rheni puerum ſubmergere ad auras
A genitrice datum coniuge non genitum.
Verùm quem reddit genitrix ex ventre marito,
Suſtinet, vt natus res leuis eſset, aqua.
Tu Horta crucem tollens es Cæli filia Regis,
Inque feret Cælum te manus Aligerum.
Non ſic, ſi fugies illam, quam Chriſtus amauit.
Aſt, vt non eſſes nata, iacebis humi.

Eadem Sidera ad IESVM antequam pro ipſo paterentur.

SI es cupidus IESV patiendæ mortis, in horto
Cur Patri dicis: Tranſeat iſte Calix?
Aut maiora tuum tormenta æquantia amorem,
Aut ſocios calicis nos cupis eſſe tui.

Eadem Sidera ad Hortanam Ciuitatem.

Ex Italia Sac.

CLara tuis quondam cinxit, dum ſola fuiſti,
Purpura Præſulibus nobilis Horta caput.
Nunc quia mutatur veluti frons arboris orbis
Sub ſole inſtabilis, ſola tiara premit.
Ne tamen ipſa dole. Noſtri te ſanguinis ornat
Pro Chriſto effuſi purpura nobilior.
Et potes vſque Deo gratos producere fructus,
Floribus vſque rubens, frondibus vſque virens.

HOrta vetuſta Etruriæ ciuitas ſecus Tiberim fluuium,
56 97 89 76 61 70 93
cuius Eccleſię olim Epiſcopi purpura decorati præerant:
67 57 43 84 99 69 88

56	67
97	57
89	43
76	84
61	99
70	69
93	88
	1049.

Pſal. 1.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus
23 48 77 68 51 104 40 61 100
aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.
82 51 92 66 34 21 82 49

23	82
48	51
77	92
68	66
51	34
104	21
40	82
61	49
100	
	1049

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE